





S·VIII·33.

Solenni Funeris deductioni, Illustri heu Pædagogio nostro Stetinensi in primis lacrymosæ & ominosæ,

Viri Clarissimi & Excellentissimi,

DN. M. MARTINI LEUSCHNERI,

dicti Pædagogij Rectoris & Philosophiæ Professoris dignissimi, meritissimi,


Nati Friberga Misnicorum Anno CHRISTI *1589. die 2. Februar. denati Stetini 18. Junÿ Anni labentis 1641. ætatis suæ 52. communi omnium matrē terræ restituendi in Templo Cathedrali Divæ Virgini sacro, die 21. ejusdem mensis,*

Ut omnes & singuli in hoc ipso Pædagogio Studiosi Juvenes condolentes & pias lacrymas fundentes intersint, hortatur

M. HEINRICUS KIELMANNUS,
ejusd. Pædag. ConR. Gr. L. & Poës. Prof.

SEDINI,
Typis GEORGII GOETSCHII,
ANNO M. DC. XLI.

32





Odiernum diem admodum luctuosum nobis reddit funus Clarissimi & Spectatissimi Viri, Dn. M. MARTINI LEUSCHNERI, Illustr. hujus Pædagogij Rectoris & Philosophiæ Professoris solertissimi fidelissimiq́, qui die abhinc quarto, in vera agnitione CHRISTI Redemptoris sui cum spe certa & animosa æternæ & beatæ vitæ placidè ac piè cursum suum finivit. Est autem in hac communi fortuna ac conditione miseræ mortalitatis nostræ id præcipuè dolendum, maximeq́ deplorandum, quòd ferè optimos quosq́ Fatorum illa vis immutabilis maximè urget & abripit; Eos nimirū, qui vel Ecclesiæ vel Studiosæ Juventuti operam navant salutarem, suoq́ ingenio, doctrinâ & industriâ communi hominum societati & bono publico utiliter & maximo cum fructu inserviunt. Et certum est, non fortuitò & temere ejusmodi casus contingere; sed vel ob hominum ingratitudinem, singularia DEI dona in Viris eximijs & præstantibus non agnoscentium; vel ob alia peccata gravissima, quæ divinam in nos provocare iram, pœnasq́ cùm publicas, tum privatas accelerare solent. Jactura enim profectò non exigua est, si Studiosi Juvenes ductore & doctore fideli & industrio orbentur; qualem fuisse Rectorem nostrum, fuisse heu inquam (utinam adhuc esset) omnes & singuli sine exceptione verè prædicare possumus. Cognitum siquidem & perspectum habemus, Virum fuisse in docendis ijs artibus, quæ humaniores appellantur,

imò in omni scibili, in omni disciplinarum genere, multis jam annis, adeoq; ab ineunte ætate probè versatum & exercitatũ, ac proinde multorum de studijs præclarè meritum; in reliqua verò vita prorsus placidum, humanum, comem, gratumq; omnibus; contrà molestum, gravẽ, adversum, acerbumq; nemini. Ut ergo Virum optimum & optatissimum, respectivè Collegam & Præceptorem, Patrem & fratrẽ nostrum summè dilectum & honorandum, cujus jucunda nobis conversatio, cujus officia utilia fuerunt in vita, post obitũ quoq; honorificâ & gratâ memoriâ, nec non testificatione τῆς συμπαθείας sincerâ & religiosâ prosequamur; non tantùm muneris & officij nostri ratio, sed ipsa quoq; pietas à nobis & gratitudo atq; honor debitus flagitat. Eoq; fine curriculum vitæ bene & laudabiliter ab eodem confectũ, quantum quidem inter gemitus ac turbatos animi motus licet, hac ipsa in charta recensendum, vel potiùs delineandum saltem est.

Natus est ὁ ἐν Χριστῷ μακαρίτης FRIBERGÆ, quæ urbs est Misniæ, opulentis fodinis metallicis & avitâ Serenissimorum Electorum ac Ducum Saxoniæ sepulturâ satis nota & celebris, Anno CHRISTI 1589. die 2. Februarij, parentibus pijs & honoratis. Pater n. ejus fuit Dn. JOHANNES LEUSCHNERUS, quondam Ædis sacræ apud Fribergenses Curator & Provisor bene meritꝰ: Mater verò WALPURGIS STAMPLINIA, civis quondã ibidem optimi & integerrimi filia. Hi parentes à teneris annis filium istum suum piè libe-

raliterq́ educarunt; ac cùm in ipso εὐφυΐαν & indolem felicem maturè perspicerent, omni studio ad discendas literas & artes bonas ipsum adhiberi voluerunt, commissum nempe in prima statim pueritia, primò in schola patria, postea etiam in Illustri ludo Electorali MISENÆ, Viris doctis & in informanda juventute artificibus probis & gnavis. Horũ operâ fideli, cùm præsertim accederet ingenium, studiũ & diligentia propria, tantum ille profecit paucorum spatio annorum, ut non solùm prima fundamenta linguarum & artium mediocriter teneret: sed etiam, cùm ad uberiorẽ ingenij cultum, eruditæq́ doctrinæ laudem, omnibus modis aspiraret, in florentissimum Pomeranorum Gymnasium STRALSUNDENSE bonis auspicijs se conferret. Quò cùm pervenisset, telam studiorum feliciter inchoatam pari alacritate pertexere unicè fuit conatus, sub præceptoribus claris & laudatis: quorum etiam ductu, conjunctô cum diligentiâ & labore privato minimè remisso, tantos ibi quoq; in cognitione optimarum Disciplinarum progressus fecit, ut ad Academias adeundas maximè idoneus jam esset, & ob insignem eruditionem, fidem, morumq́ elegantiam & suavitatem amaretur & coleretur à bonis omnibus. Unde porrò factum, ut opera ipsius etiam ab externis quibusdam expeteretur, præsertim à Nobilibus nonnullis RUGIÆ Insulæ, inter quos non postremus fuit Vir quidam Strenuus de Nobilissima RAUSCHERORUM gente, qui soboli suæ Nobili erudiendæ eundem præfecit, & fidelitate boni & in-

dustrij

dustriȷ Præceptoris perspectâ, paulo pòst unà cum filijs suis in Academiã GRYPHISWALDENSEM sumptibus liberaliter instructum misit. Hac re apud Stralsundenses cognitâ, mox complures Studiosi Juvenes ex dicto Gymnasio in Academiã hanc ipsum secuti, partim etiam inspectioni & institutioni ejus commissi fuerunt. Hisce veluti stimulis & calcaribus cùm ad diligentiam, in urgendo conficiendoq; Studiorũ curriculo, magis ille postea incitaretur, cœpit publicis & privatis doctrinæ exercitationibus, quales sunt lectionũ, disputationum, declamationum & similium, operã navare sedulam & assiduã. Quo ipso etiam tantum est consecutus, ut Clarissimis Dnn. Professoribꝰ tam Philosophicæ quàm Theologicæ Facultatis innotesceret: qui præclaris & laudabilibus his speciminibus ab ipso editis permoti, autores & suasores ei fuerunt, ut summum in Philosophia gradũ ab Inclyta Facultate Philosophicâ peteret. Huic ergo invitationi humanissimæ honestissimæq; locum tandẽ relinquens noster ὁ ἐν ἁγίοις, legitimâ & unanimi antegressâ Collegiȷ Philosophici approbatione, optimarum Artium & Philosophiæ MAGISTER publicè creatus est Anno 1619. Hoc titulo honoris cùm ornatus fuisset, jam multò magis, quàm antè, sibi existimavit elaborandum esse, ut non modò eruditionis famam aliquam compararet, sed etiam aliorum studia juvaret ac promoveret. Quam ad rem singulari quasi impetu ferri videbatur. Hinc frequentia Collegia privata instituit, in quibus eã versatꝰ est fide & dexteritate, ut plurimis

 inge-

ingenium & eruditio ipſius probaretur, nec paucos ibi in Academia haberet, qui ipſius adhærerent diſciplinæ. Publicè etiam tã in Philoſophia quàm Theologia ſæpius diſputavit: inter quas diſputationes non infima cenſenda eſt illa, quam de arduo PRÆDESTINATIONIS Articulo, ſub Præſidio Rev. Clariß. & Excellentiß. Viri, Dn. BARTHOLOMÆI BATTI, SS. Theolog. Doct. & Profeßoris, ſumma cũ laude & gloria ſuſtinuit. Nec non aliàs, quantum in ipſo fuit, de Academia bene mereri ſtuduit, cujus decus & ornamentum eximiũ fuit. Hoc ergo modo favorem & benevolentiam Dnn. Profeſſorum ad unum omnium (inter quos honoris causâ nominandus hîc eſt Dn. D. BöRSTENBöSTELIUS Juriſconſ. celeberrimus, cujus Domeſticus ad tempus haud exiguum ὁ μακαρίτης noſter fuit) ſibi conciliavit: qui tanti ipſum fecerunt, ut officijs & conditionibus quibuscunq; oblatis dignum eum judicarent, deq; illis ei mandandis ſuffragia ferrent. Unde etiam non ſemel, ſed aliquoties Profeßio aliqua Philoſophica ipſi delata fuit: quam tamen certis & juſtis de cauſis decenter ac modeſtè recuſavit. Nihilominus tamen tota Academia nihil magis in votis habuit, quàm ut hunc perſpectæ fidei ſummæq; eruditionis Virũ perpetuis ſibi officijs devinctũ retinere poſſet. Verùm ſingulari DEI providentiâ evenit, ut Anno 1621. Subrectoratu & Eloquentiæ Profeßione in Illuſtri hoc Pædagogio vacante, Viro quondam admodum Reverendo, Ampliſſimo & Excellentiß. Dn. D. DANIELI CRAMERO, magni nominis The-

niū Theologo & de Ecclesia Cathedrali Mariana & Pædagogio nostro optimè merito, beatæ recordat. à Reverendis & Magnificis Dominis ejusdem Ecclesiæ Capitularibus negotium hoc committeretur, ut de idoneo successore Pædagogio huic prospiceret: qui sanè tantâ curâ & solicitudine rem egit, ut ipsemet itinere suscepto Academiam Gryphisvvaldensem viseret, personam dignam ac tali parem muneri delecturus: ubi statim ei præ cæteris omnibꝰ noster piè defunctus à Dnn. Professoribus commendatus fuit. Cùm ergo colloquio instituto, ingenij animiq; dona & virtutes dictus Dn. D. Cramerus in Viro hoc explorasset, nullatenus dubitavit, eundem Stetinū secum adducere, ut SUBRECTOR & Eloquentiæ PROFESSOR in Illustri Pædagogio nostrô constitueretur. Hanc Spartam & munus cùm ita ornasset, ut ad majora & altiora meritò promovendꝰ videretur; hinc Anno 1623. post obitum Clarissimi quondam & incomparabilis Viri, Dn. M. CHRISTOPHORI HUNICHII, Pædagogij hujus Rectoris & Philosophiæ Professoris meritissimi, p. m. ipse à dictis Dnn. Capitularibus RECTOR Illustris nostri Pædagogij vocatus, & præsente Illustrissimo quondam, Reverendiss. & Generosiss. Principe ac Dn. Dn. BUGISLAO XIV. Duce Pomeraniæ eheu ultimo, Dn. nostro clementissimo, solenniter inauguratus est. Quâ porrò fide & vigilantia, quantoq; cum rei literariæ emolumento & incremento, functioni huic arduæ & laboriosæ per annos septendecim cum dimidio præfuerit, bonis omnibꝰ adeò

est no-

est notũ, ut prolixa commemoratione opus hôc loco nullatenus sit; cùm præsertim & tempus & charta jam moneant, ut vela scriptionis hujus contrahantur.

Quod ergo breviter rem privatam & domesticam piè defuncti spectat, Anno 1626. uxorem duxit lectißimam & pudicißimam Virginem MARIAM, Viri quondam Reverendi, Clariß. & Excellentiß. Dn. M. JOACHIMI PRÆTORII, Ecclesiastæ Mariani, S. Theolog. & Ling. Hebraicæ in Illustri Pædagogio Professoris, & Consistorij Ecclesiastici Assessoris, p. m. Filiam, Viduam jam mœstißimam: cum qua mutui amoris & suavitatis plenum habuit conjugium, & ex ea sex suscepit liberos, tres filios, & totidem filias: è quibus duo filij, & filia una, præmatura morte abrepti; unus filius & filiæ duæ, divini Numinis benignitate, etiamnum in vivis sunt, quos DEUS diutißimè salvos & incolumes conservare paternè dignetur. In reliqua ipsius vita pius & mansuetus eluxit animus: prodesse studuit, quibuscunq; potuit: fuitq; omnino talis, qualem suprà exhibuimus. Laboravit autem, annis superioribus, aliquoties morbis satis gravibus ac diuturnis: qui licet fideli cura & remedijs adhibitis superati tandem sint, reliquiæ tamen illius tristes & ominosæ continuè fermè ipsum infestarunt. Maximè verò hebdomade abhinc alterâ morbi vehementiâ ita correptus fuit, ut augescentibus ejusdem incrementis miserè affligeretur, donec consumptis ac prorsus exhaustis viribus, 18. hujus mensis die, horâ 4. matutinâ, in seria CHRISTI σωτῆρος invocatione morte placidißima extinctus est: postquam in terris bis vixisset annos 52. menses 4. cum dimidio.

Quoniam igitur hodierno die, horâ 2. usitato & Christiano ritu corpus exanime ad sepulturam efferetur, nostrum erit, decenter & religiosè hoc funus prosequi, beatis manibus bene precari, omniaq; ea præstare, quæ officium cujusq; & pietas hac in parte requirunt, imò quæ amor & merita Collegæ & Præceptoris nostri desideratißimi suo quodam jure ab unoquoq; nostrûm exigunt. Propos. publ. anno & die, ut suprà.


9 21116 Bibliotheca 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393
S. VIII. 33

